DISSERTATIO COSMOLOGICA,
DE
CONTINGENTIA MUNDI CONSTITUTIVA ET CONSECUTIVA.

QUAM

PRÆSIDE

Israel Gotttlieb CANZIO,

P. P. O. ILL. STIP. THEOL. TUB.

EPHORO,

D. JUN. ANNI MDCCXLVI.

IN

AUDITORIO PHILOSOPHICO

H. L. CONSUETIS

PRO RITE

CAPESSENDIS SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

PUBLICO COLLOQUIO EXPONERE VOLUIT

AUCTOR

GOTTHARDUS FRIDERICUS FABER,

KIRNBACENSIS. SER. STIP. ET MAG. PHILOS. CAND.

TUBINGÆ,

LITERIS JO. HEINR. PHIL. SCHRAMMII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



§. I.



OMne Ens, quodcunque in toto hoc universo continetur, ita comparatum eſt, ut ad duas potiſſimum partes revocandum ſit, adeoque neceſſarium ſit vel contingens. Quoniam vero tota hæc commentatio circa contingentiam Entis maxime verſetur, illa vero ſit oppoſita neceſſario; opus erit antecedanea explicatione neceſſarii, & deinde contingentis. Nimirum illud omne neceſſarium dicitur, cujus oppoſitum involvit contradictionem vel manifeſtam vel tacitam; cum vero id quod contradictionem involvit, plane ſit impoſſibile; ſequitur, omne illud, quòd neceſſario opponitur, legitime dici impoſſibile; ſed quando id quod rei cuidam opponitur, eſt impoſſibile, eo ipſo res evadit neceſſaria. Atque ſic omne poſſibile in ſe ſpectatum eſt neceſſarium; ſi ſc. poſſibile non ſimul poteſt eſſe impoſſibile, per princ. contrad. ſed Eſſentiæ rerum omnes in poſſibilitate verſantur, idcirco ſunt neceſſariæ, adeoque ex eſſentiis rerum omne neceſſarium proficiſcitur. Quotiescunque igitur de neceſſario loquimur, tum de eſſentiis rerum præcipue ſermonem inſtitui, præmonitos velim lectores, quoties autem de contingentibus diſſerimus, tum de exiſtentia rerum; quæ quidem duo probe debent diſcerni, quoniam illæ quidem ſunt neceſſariæ, hæc vero contingens eſt. Neceſſarium.

§. II.

Definitio contingentis.

Contingens igitur generali definitione illud omne nominatur, quod necessario opponitur vel cujus oppositum existere, non repugnat. Quamvis igitur simul esse & non esse nihil possit; in eo tamen contingens differt a necessario; quod si hic & nunc aliquid existat, natura tamen sua etiam non existere, vel sub aliis circumstantiis aliquo modo potuisset. Adeoque Ens contingens appellatur, quod in essentia sua sic fundatur, ut ad existentiam plane sit indifferens; sed ad cujus existentiam requiritur aliquid amplius ab illo Ente realiter distinctum; quale autem illud sit, inferius patebit; illud hic sufficiat, Ens contingens posse existere, vel non existere salva essentia.

§. III.

Corollarium.

Ex hac notione sequitur, Ens contingens ab Ente simpliciter necessario atque infinito facillime distingui posse; infinitudinis enim notio requirit, ut tale Ens, quidquid habet, cum omnitudine compossibilium habeat, & absolute quidem: existentia vero compossibilis est ceteris perfectionibus, & est in Ente infinito perfectionis loco; igitur illud Ens necessario existit, quoniam contradictorium est, infinitum esse, & posse non existere. In contingentibus omnia secus habent; differt igitur Ens finitum ab Infinito, uti contingens a necessario.

§. IV.

Mundus in concreto.

Mundus nobis est universitas rerum spatio & tempore connexarum. Spatio connexa dicuntur, quæ simul existunt; tempore vero conectuntur, quæ successive, uti effectus a caussa, procedunt; ex quo pendet, quod & antecedentia, & præsentia atque futura constituant unum eundemque mundum. Jam si præsentem aliquem cum antecedaneo temporis articulo conferamus, tum vero magnum inter utrumque discrimen

ſcrimen reperiemus, atque mirandas mutationes, quod quemvis experientia docet, optimus magiſter: cum vero ab exiſtentia ad poſſibilitatem jure concludamus, apparet, hunc mundum eſſe mutabilem, atque hunc vel alium eſſe poſſe ſine idearum repugnantia; hinc mundus eſt ſeries rerum mutabilium, quæ ſui rationem metaphyſice ſufficientem habent; attendamus jam ad illa generalia, quæ omnibus rebus exiſtentibus competunt, ut illam rationem determinare queamus, aut igitur illa ratio conſiſtet in eſſentia vel in exiſtentia rerum; ſed eſſentiæ rerum ſunt neceſſariæ, hinc æternæ atque prorſus immutabiles, hinc in eſſentia rerum ratio mutationis eſſe non poteſt. Relinquitur itaque exiſtentia, quæ ſola rerum modos atque mutationes infert; hæc vero quoniam ſui rationem ſufficientem in ſe ipſa non habet, illam ponit in alio. Quod ſui rationem in ſemet ipſo non habet illud vocatur contingens; igitur mundus eſt contingens, vel in toto ſuo ambitu ſpectatus, eſt univerſitas rerum contingenter exiſtentium.

§. V.

Jam demum putem intelligi poſſe, quid ſit contingentia mundi, in abſtracto conſiderata; quod nimirum ſit ipſa compoſitio rerum contingenter exiſtentium, quatenus etiam alia poteſt eſſe: quatenus iſta compoſitio in ſua poſſibilitate ſpectatur, tanquam certa combinabilitas rerum contingentium, eatenus eſſentiam mundi nobis repræſentamus. Recedimus autem in iſta eſſentiæ definitione a Carteſio, qui illam in extenſione ſola collocabat, dum materiæ notionem cum eſſentia rerum corporearum confudit. in abſtracto

§. VI.

Illud velim probe hic diſcernant Lectores, duplicem hac ratione contingentiam in conceptu mundi apparere; prima quidem iterum in duos ramos abit; potuiſſe 1.) mundum vel exiſtere vel non exiſtere (creari hic nondum licet Diviſio Thematis.

 dicere,

dicere, quoniam illius notio evolvenda deinceps erit) 2.) potuisse generaliter hunc vel alium mundum existere, quamvis optimus proximo jure ad existentiam accedat. Secundo, quamvis hic sit nexus mundi constitutus, illum tamen contingentem esse quoad singulos temporis articulos. Ad hanc, inquam, differentiam probe attendendum esse, cum tota hæc commentatio illo veluti fundamento nitatur. Primum enim quod attinet, probandum nobis erit, potuisse Deum etiam libertatis usu mundum quoque non producere, quod ex Idea Entis infiniti magis apparebit; secundo ita constitutum esse mundum, ut in successione sua nexus semper possit miraculo suspendi; nimirum quod titulus paginæ ostendit, mundum hunc esse in constitutione, & consecutione sua contingentem.

§. VII.

Pars I. Mundus quoad partes suas essentiales.

Jam ad primam partem propius accedimus de constitutione mundi primum visuri. Duplex nobis via patet, evolvendi generalia omnia quæ hunc mundum constituunt, una dicitur experientia, altera vero recta ratio. Per experientiam dicimur cognoscere ea, quæ in nostris organis sensoriis mutationes quasdam proferunt; objecta scilicet externa, sed non nisi singularia; per rectam vero rationem res tantummodo cognoscimus interveniente bono ratiocinio; sic & simplicia mundi Elementaria, & spiritus, inprimis vero animæ nostræ existentiam intelligimus, non immediate quidem sed rectæ rationis ope. Ex quo duplici cognitionis humanæ modo facile nobis persuademus, mundum partim esse corporeum partim incorporeum; de utroque seorsim erit disserendum.

§. VIII.

I. mundus corporeus quisnam?

Mundus corporeus vel consideratur uti mutatio rerum contingenter existentium, quemadmodum in motu ponitur; vel ut adspectabilis, quatenus sensibus nostris occurrit; priorem casum in altera tractationis parte evolvemus distinctius, posteriorem hic tenebimus. Sensu percipimus res ut extra nos positas, sed non nisi res compositas sentimus, dum compositi

poſiti partes extra partes nobis repræſentamus, atque extenſi ideam formamus; jam vero quælibet pars novum compoſitum ipſa eſt, atque iſta in novas partes tam diu poteſt reſolvi, arte humana, quam diu ſenſum non effugit. Quamvis igitur ad vivum reſecari hæc compoſita non poſſint, mente tamen concipimus, uti Matheſis rectiſſime præcipit, poſſe virtute ſaltim Divina compoſitum quoddam ita reſolvi, uti ortum fuit nimirum in ſimplicia, compoſitum enim vi vocis eſt, quod conſtat ex ſimplicibus.

§. IX.

Monitum

Antequam ulterius provehar, monendi hic videntur Lectorum nonnulli, ne ſi audiant compoſitum aliquod primi gradus, & immediate ex ſimplicibus ortum a phantaſia illudi ſibi patiantur, & confundant illud cum compoſito aliquo viſibili, cum ſit diverſiſſima utriusque ratio. Cujus ſi ideam paulo accuratiorem formare nobis velimus, ſimplicia comparemus ſingula cum unitate Mathematica, compoſitum e. g. cum ternario; qualis igitur erit ratio ternarii ad tres unitates, ex quibus reſultat; eadem erit ratio compoſiti ad ſua ſimplicia.

§. X.

Simplicia in ſe ſunt contingentia.

Mundus igitur eſt compoſitum, conſtans ex infinitis aliis compoſitis, quæ denique reſolvi poſſunt in ſimplicia; ſed tali modo res diſſolvitur, quo fuit orta, igitur ex ſimplicibus fuit ortus hic mundus. Jam vero ſi contingentem eſſe mundum corporeum ſtatuemus, neceſſe eſt, prima ejus Elementa eſſe contingentia; faciamus igitur rei periculum. Simplicia dicuntur, quæ partibus carent. Oritur res, quæ exiſtentiam accipit vel in inſtanti, vel ſucceſſive conjunctis iis quæ ingrediuntur rei eſſentiam; ſimplicia nullas partes admittunt, igitur in inſtanti oriuntur. Non autem ex compoſito oriuntur, quippe alias in compoſito, uti pars illius, debuiſſent præexiſtere; neque vero ex alio ſimplici poſſunt oriri, quoniam omne ſimplex caret partibus; neque ex alterato, nam diverſæ qualitates novi entis exiſtentiam non inferunt. Igitur

ſimpli-

ſimplicia ſui rationem phyſice ſufficientem in nullo præexiſtente habent; hinc ex nihilo oriuntur. Neque id vero omni ratione caret, quod materiali caret, adeoque ſic explicandus eſt ortus ſimplicium, ut realitatem exiſtentiæ habeat ab alio, id, quod in ſeſe nullam habet realitatem, vel ut creari ſimplicia cogitemus; potuiſſent igitur ſimplicia etiam non exiſtere per ſe, & conſequenter illa inter contingentia referre licet.

§. XI.

Occurritur objectioni.

Ens ſimplex eſt unica quædam ſubſtantia, compoſitum eſt plurium ſubſtantiarum aggregatio. Simplicium quidem reſpectu facillime hic dubium aliquod ſubnaſci poſſet; ſi quidem ſubſtantia, veterum definitione, dicatur Ens per ſe exiſtens, atqui dicis, Ens ſimplex eſt ſubſtantia, E. per ſe exiſtit, conſeq. neceſſarium quoque eſt; explicatio igitur hujus phraſeos valde erit idonea, quæ hic attingatur. Nimirum duplici reſpectu poteſt dici; per ſe exiſtit, quod fundamentum exiſtentiæ ſuæ habet in ſe ipſo, & cujus exiſtentiam eſſentia includit; atque hoc reſpectu ſolum Ens infinitum exiſtit neceſſitate nimirum abſoluta; vel alio ſenſu per ſe etiam exiſtit, quod principio quodam interno activum ſe comprobare, ſuamque exiſtentiam momentaneis ſpeciminibus confirmare nititur; quamvis hic de cauſa efficiente prorſus abſtrahamus. Hoc modo putem intelligi poſſe, quid ſibi velit phraſis illa per ſe exiſtere; non hic anxie requirimus, in quonam conſiſtat illa vis activa ſimplicium, & quo jure fruatur perceptio ſimplicium Leibnitiana, quoniam hæc non ſunt hujus loci: Confer. Ridigerus de ſenſu veri & falſi L. 1, Cap. V. p. 38.

§. XII.

combinationis modus quoad exiſtentiam eſt contingens.

Vidimus ſimplicia extra connexionem ſuam eſſe contingentia; facilis jam eſt argumentatio, quoniam de mundo corporeo dicimus; ſimplicia per ſe ſunt contingentia, ſed quæcunque ſunt in regno Corporum, oriuntur exillis, E. reſpectu ſimplicium mundus eſt contingens. Jam porro: plura ſimplicia-

plicia constituunt unum quoddam compositum singulare, eo modo, quem §. IX. allegavimus; quoniam vero omnia composita ex illis oriuntur, saltim in modo compositionis differunt; quotquot igitur modi compositionis sunt possibiles, tot erunt diversa composita. Simplicia autem non existunt necessario; hinc nec compositio erit necessaria; nam essentiæ rerum sunt necessariæ per se tantum, non quoad existentiam. Proinde etiam ratione singulorum compositorum mundus est contingens. Omnia composita simul sumta tam successiva quam simultanea constituunt unum eundemque mundum, singula autem contingenter existunt, igitur potuit mundus etiam non existere; sed quoniam omnia non necessario eodem ordine juxta se sunt posita, & sibi invicem succedunt; sequitur, & alium combinationis modum potuisse eligi; consequenter mundum etiam potuisse alium existere; hinc apparet mundi contingentia ratione constitutionis, duplici respectu, 1.) quod potuerit non existere, 2.) quod saltim alius potuisset in medium prodire.

§. XIII.

Sed nondum tamen ab omni suspicione nos liberavimus; sed amolienda quædam est objectio. Sunt, qui animo concipere nequeunt, existere quidquam posse, quod omni causa materiali careat; & proinde rationem physice sufficientem assumunt, pro ut visum fuerit; hinc enata fuit æterna quædam materia, imaginationis filia, seu compositum aliquod, quod sui rationem habet in seipso, & cujus partes sunt mutabiles teste experientia. Sed evoluta definitione facillime dispalescet error. Tale quoddam compositum, qualecunque demum fuerit, necessarium est, quoniam existentiæ suæ rationem habet in se ipso §. III. hinc & immutabile est; sed quoniam partes illius possunt esse mutabiles, contradictio aperta est; mutabilitas vero infert contingentiam; sit autem talis materia per hypothesin absolute necessaria, tum mera prodibunt contradictoria. Est igitur hic mundus in se spectatus contingens tam quoad partes componentes, quam secundum ipsum compositionis modum. Materia æterna.

§. XIV.

II. Regnum ſpirituum, ubi 1.) contingentia reſpectu creatoris evolvitur.

De mundo corporeo diximus; jam ad regnum ſpirituum patet tranſitus; quibus libertas, ſæpius deſiderata, debet reſtitui; neque enim libere creaſſe Deum, concedunt ii, qui ſecus ſentiunt, neque ſpiritus finitos pro arbitrio ſuo poſſe liberas actiones edere fatentur: & quoniam utrumque crimen maximi momenti eſt, videamus primum de Deo; cauſſamque ipſius circa creationem mundi pro anguſtis ingenii humani limitibus ſuſcipiamus defendendam. Mundum hunc eſſe contingentem vidimus §. IV. conſeq. rationem exiſtentiæ ſuæ ponit in alio, cui infinita virtus neceſſitate competit intrinſeca, quem Deum vocamus: ratio igitur ſufficiens, cur Deus hunc mundum exiſtere potius quam non exiſtere, maluerit, aut in ipſo Deo quærenda eſt, aut extra Deum; poſterius non eſt, nihil enim reale extra Deum fuit, quod rationem mundi in ſe continuiſſet; igitur a nullo Ente, extra ipſum poſito, determinari Deus potuit; igitur in Deo ponenda eſt illa ratio exiſtentiæ mundi, atque ſic Deus eſt cauſſa mundi. Si ratio mundi ſufficiens in ipſo Deo quærenda eſt; tum vel ad eſſentiam Divinam referenda erit, vel ad liberum perfectiſſimæ voluntatis exercitium; ſi ad eſſentiam Divinam pertinet, tum vero novæ acquirendæ realitatis gratia Deus creaſſet, quod eſt contradictorium; Deus enim eſt אֵל שַׁדַּי Ens ſibi ipſi ſufficientiſſimum; quidquid igitur realitatis titulo venit, neceſſario in illo locum debet invenire, qui, ceu Ens infinitum, omnes compoſſibiles perfectiones ſimul poſſidet; igitur libera voluntas Dei illam in ſe rationem continet, cur hic mundus exiſtat; proinde etiam non creare, vel alium creare mundum Deus potuiſſet, quod de contingentia mundi luculentum affert teſtimonium. Nihil nos morari debet illa cogitatio, ac ſi Deus nullis actionibus efficacem ſe præbere potuiſſet, non condito hoc mundo; abſit longiſſime! quippe ſemet ipſum adſpiciens jam fuit actuoſiſſimus, & ſibi ipſi beatiſſimus; neque aliud objectum externum actionibus Dei erat deſtinandum. Videmur in nobis ipſis aliquod habere

ſimu-

imulacrum atque vestigium hujus voluptatis Divinæ; si quidquam perfectionis nobis inesse sentimus, quamvis nihil ita sit purum, quin ei aliquid humani atque imperfecti sit admistum. Instabis igitur, quodnam sit illud motivum, ob quod Deus creare maluerit, cum ipsi nulla nova realitas accesserit; saltim inquam, ideo creavit, quia convenientius ipsi videbatur creare, quam non creare. Patebit id clarius, si notionem libertatis Divinæ perspexerimus.

§. XV.

Asserimus primum Deo infinito summam quoque & infinitam agendi potentiam. Quidquid enim Deus habet, illud sine gradibus habet, adeoque nihil imperfecti turbat ipsius perfectiones; igitur omnia possibilia subjecta sunt potentiæ Divinæ; sunt vero complures adhuc alii mundi possibiles, hinc & alium generali sensu potuisset eligere, hoc posthabito; ex quo jam deduximus mundi contingentiam; potest vero Deus ad hunc usque diem illa omnia, quæ in creatione præstare potuerat; igitur & hodie potest aliter agere, nexumque hunc vel alium quemcunque constituere. Et quoniam facultati Divinæ semper etiam compossibilis est actus, hinc etiam semper agit: actuosus fuit ab æterno §. XIV. in creatione fuit actuosissimus, & quoniam conservatio ipsa est creatio, semper adhuc agit. Secundo autem ipsi innuitur potentia illimitata, nec externo quodam circumscripta principio; a se ipso enim habet, quidquid habet, Deus; neque præter ipsum quidquam est, quod eum ad actiones certas adstringere aut determinare possit; cum enim id, quod aliquando non existit, etiam non necessario existat, patet, ante concessam possibilibus realitatem nihil habuisse Deum, quod ipsi se ad creandum obtruserit? id quidem veritati consentaneum est, posito Deo, semper quoque poni possibilia, ex ipsius nimirum essentia profecta, illud tantummodo dici non debet, competere ipsis præcipuam quandam dignitatem, cujus intuitu creationem fuissent merita; hinc prorsus & absolute indepen-

Probatur ulterius.

dens eſt Deus ab omni externo principio. Tertio autem ita agit Deus, prout ſuaſerit divina omnium rerum cognitio; talis autem Cognitio, quæ eſt longe profundiſſima, optimum facillime detegit; cum enim omnia poſſibilia ſibi Deus repræſentet, perſpicit etiam diſcrimina atque prærogativas, quibus alia præ aliis gaudent; ſed illa cognitio, qualis eſt divina, ſemper cum conatu conjuncta eſt proferendi optimum, lege ſapientiæ ſumma & immutabili; nec tamen exinde Deus agit neceſſario, quia optimum agit; dantur enim plurima alia, quæ ſimul ſunt eligibilia; creavit igitur Deus in ſapientia ſua liberime.

§. XVI.

Finis creationis non neceſſitat.

Duo adhuc ſuperſunt, quæ circa creatorem Deum quæri ſolent, nec injuria; primum illud eſt, quidnam ſit internum illud motivum, ex quo Deus creare maluerit, quam non creare, reſpeximus ad hanc quæſtionem jam ſupra §. XIV. & huic loco reſervavimus. Ens ſapientiſſimum optimis finibus commodiſſima adjungit media, quærendus igitur ille finis nobis eſt. Qui gloriam Divinam pro ratione ſufficiente aſſumunt, illi tutiſſima via ingrediuntur; quippe gloria Dei eſt æterna illa Dei dignitas, ut cognoſcatur atque ametur; dignitas iſta ortum ſuum trahit ab omnitudine perfectionum, quibus gaudet Deus; quas ſi ſimul concipiamus animo, quamvis revera comprehendere illas humana imbecillitas non poſſit, inſignia tamen illarum perfectionum veſtigia deprehendemus; eaque norma & potentiam Dei ex effectu, benignitatem ex innumeris fructibus atque commodis, ſapientiam ex illis, quæ ſpatio connexa ſunt, ex iſtis autem omnibus exiſtentiam conditoris admirabimur. Sed cum duplex ſit mundus generaliter ſpectatus, corporum atque ſpirituum regnum; duplici etiam reſpectu patefacta eſt hæc divina gloria; & eſt divinorum attributorum fructus penes res inanimatas, ſenſus autem illarum penes res animatas obtinet. Sic Deo convenientius erat creare quam non creare, nimirum reſpectu exercitii perfectionum divinarum, quatenus illud in patefa-

tefactione gloriæ divinæ satis luculenter se exeruit; cum autem in tali Ente, cujus intellectus est purissimus, exercitium quoque sit liberrimum; patet mundum, ut objectum hujus actionis divinæ, non existere necessario.

§. XVII.

Et qui æternitatem mundi non probat.

Alterum, quod quæri hic solet, illud est, quod plerumque nobis obversatur, si cogitamus, aut ab æterno Deum creasse, quoniam ob gloriam suam creaverit; adeoque hunc mundum esse necessarium; aut in tempore Deum creasse, & propterea successionem in Deo dari saltim idealem. Distinguendum igitur hic est inter gloriam Dei internam atque externam; interna consistit in simultanea possessione perfectionum omnium, externa vero in perfectionum patefactione consistit; illa necessaria, hæc contingens est; quoniam vero sensu posteriori Deus creavit, igitur non necessario creavit. Sed ab æterno creavit, si sano tantum sensu accipiatur; & sub illo tantum æternam plurium Entium successionem atque seriem intelligas; atque sic servatur omnino contingentia: quæ essentialiter supponit Ens absolute necessarium. At vero si ab æterno esse tantundem tibi sit ac æternum esse; tum vero immutabiliter atque necessario æternum esse mundum facillime imaginatio persuaserit, & æternæ materiæ vanam notionem menti parum attentæ suggesserit. Quid vero vires istæ sociæ ad Deum infinite potentem? Sed notior est illa contradictio, quam quæ longius enarretur. Sed etiam qui rectius sentiunt, sæpius tamen temere in errorem incidunt, dicentes: Deum creasse in tempore, quæ quidem loquendi formula satis vagam prodit ideam, citius enim creari mundum potuisse statuunt, & concipiunt sibi tempus ante seriem rerum successivarum, adeoque primo homine priorem fingunt. Similis est judicii lapsus apud illos, qui spatium cogitant ante mundanum, vacuum materia, cui velut implantatæ fuerint res creandæ. Sed non video, quid obstet, quo minus cum tempore creatum esse hunc mundum statuamus;

 certe

certe in periculum abſurdæ theſeos non incurremus ; neque id, quod multis videtur, Deo inferre neceſſitatem poteſt. Infinito Deo omnia ſemper adſunt, neque id illi licet affingere, quod ſatis anguſtum efficit humanarum rerum terminum, tempus, puto, ſucceſſivum ; apud homines id limitationis eſt, quod nunquam duas res ſimul, ſed omnes ſucceſſive faciant, viribus uni ſaltim rei ſufficientibus. A Deo omnis limes exulat. Perfectionis loco eſt apud nos, ſi diſtincta rei repræſentatione præcedente, decernamus quid agendum ſit; perfectione naturali; Ens infinitum neque ratiociniis neque aliis humani intellectus adminiculis æternum & vidit & decrevit hunc, quem palpamus mundum, quamvis cum tempore productus demum fuerit. Cautela. Illud ſine nota prætermitere hic non poſſum, quod paſſim in ſcriptis invenias : ubi Deus repræſentatur ut ſpectator omnium poſſibilium, conferens ſingulos compoſitionis modos ex illis oriundos, qui abſoluto hoc examine illum deligat, qui potiſſimum ſit præferendus aliis; magnopere falluntur, qui ſucceſſive id factum eſſe ſomniant; longeque accuratius alii ſentiunt, qui factum hoc eſſe uno intuitu omnium poſſibilium ex notione ſapientiæ Divinæ interpretantur.

§. XVIII.

III. Spirituum. 2.) finitorum actiones ſunt contingentes.

Hucuſque perſpeximus, mundum & in ſeſe & reſpectu auctoris ſui eſſe contingentem; ſed quid ſi concedant nobis adverſarii, mundum corporeum eſſe contingentem ; quamvis id nullus Spinoza factitaverit, & agentibus intelligentibus neceſſitatem conentur inferre. Præſtandum igitur promiſſum erit, initio §. XIV. factum, & num ex contingentia mundi contingentia actionum humanarum poſſit erui, diſpiciendum. Competit autem hoc argumento: quidquid exiſtit, illud exiſtentiam ſuam agendo demonſtrat; ratio ſufficiens actionum repetenda eſt vel altius a primo illo momento, quo exiſtere animam Deus voce dictatoria juſſit, principium illud internum addidit, naturæ ſpiritus apte reſpondens ; vel ſpecialius deducenda eſt hæc ratio ab objecti hujus vel illius diverſitate

ſitate. Talis igitur naturæ omnes erunt actiones animæ qualis eſt exiſtentia, quoniam hæc ſe per actus teſtatur; & proinde ſi exiſtentia erit neceſſaria, tum vero etiam actiones humanæ poſſunt eſſe non liberae: cum vero probatum ſit hactenus, contingentem eſſe hunc mundum generaliter ex notione Dei; quod non tantummodo mundum corporeum attingit, ſed omnes mundi partes eſſentiales, patet, & animam in electione ſua eſſe liberrimam, & actiones ipſius manere contingentes. Confiteamur nos quidem, principium illud internum, quod in vi repræſentativa univerſi conſiſtit, ita comparatum eſſe, ut neceſſario nobis res repræſentemus, quamvis neceſſitate hypothetica, non abſoluta; neque enim in poteſtate noſtra ſitum eſt, num animo velimus res præſentes ſiſtere; nec potis eſt, præcipere, qualis res repræſentanda eſſe debeat; neque enim minus neceſſariæ ſunt repræſentationes quam eæ mutationes, quas in organis ſenſoriis experimur: ſed quid demum inde ſequitur, num igitur etiam voluntas ſe determinabit neceſſario? non arbitror. Voluntatis enim eſt, applicare attentionem ad præſentes ſenſationes, vel ad unam præcipue partem; voluntatis ſub imperio eſt, inprimis ejus, quæ abſtractionibus dudum ſe exercuit, ita negligere unam rem, ut plane non oblata videatur, & ſtudioſe illam cum aliis confundere; in eo nimirum caſu, ubi ingrata nobis res obverſetur; ſi vero nobis objectum obverſetur ut bonum, nobisque congruum, tum eam, quam fieri poteſt diſtinctiſſime, contemplamur. Atque ipſa hæc facultas, quæ eſt præcipua voluntatis affectio, vocatur libertas; ex quo valde perſpicuum eſt, quomodo libertas competat voluntati. Conf. ſi placet, Ill. Dn. Bilfingeri Dilucid. Sect. III. cap. II. §. CCLXXXVI.

§. XIX.

Requiſita contingentiæ actionum.

Ad contingentiam actionum igitur pertinere videmus agens quoddam intelligens; quatenus libertas eſt voluntatis affectio, hæc vero ad examen intellectus revocat omnia; atque in eo quidem longe adhuc excellentiorem puto animæ liber-

libertatem competere, quam mundo isti corporeo contingentia tribuitur; in hoc enim, quotiescunque partes certæ concurrunt ad constituendum aliquod tertium, ea res certissime enascitur; hic vero, quamvis intellectus distincte sibi repræsentaverit convenientiam rei, ex voluntate tamen pendet, num exequi prævisa, & sensationes novas velit producere; ex quo iterum patet, contingentes esse actiones ejusmodi. Cum autem nihil sine ratione sufficiente fiat, præcipue autem intellectus eam veluti quadamtrutina ponderet; apparet, semper obversari humano intellectui talem quandam rationem, qua perspecta voluntas vel decernat vel suspendat actionem; interim tales rationes nunquam sunt ejusmodi, quæ absolutam necessitatem decernendi inferrent. Fieri autem potest, ut voluntati gravissimæ adsint rationes ad agendum aliquid, cum velut ab improviso accedant aliæ non minoris momenti ad omittendam actionem, forsitan exulabit hic libertas? notandum igitur est, subitaneam sæpe occasionem, quæ dubitantibus sese offert, esse loco rationis sufficientis, quæ rationem determinet. Ponamus e. g. serenum esse cœlum, toto nubes coelo diffugisse, prata nunc vario florum genere ornari, oscinum cantu totiusque telluris amoenitate omnia velut ad vitam revocari, fac, in mentem tibi venire, exspatiari te in campos velle: oriatur subito negotiorum recordatio, temporis pretiositas in mentem revocetur, inprimis etiam illa molestia, quæ e nimio solis ardore capiatur; suspensam ista cogitationes mentem teneant, cum præter spem occasio subnascatur, cui indulgeas atque locum concedas. Memento hæc fingi; quoniam nunquam animus in utramque partem inclinat perfecto quodam æquilibrio; neque tanta est in objectis æqualitas, ut casus perfectæ æquivalentiæ rationum possit existere. Sequitur autem ex his, non sufficere, ut res quædam in se sit contingens; requiritur ut etiam posita conditione tamen adhuc sit contingens; alias enim quotiescunque illa conditio ex statu antecedente sequeretur, semper fieret actio necessario. Partes igitur libertatis, in centro exhibitæ, sunt hæ: ut primo adsit substantia agens intelligens; secundo, ut actio in se sit contingens, ut sit tertio

hypo

hypothetice contingens. Atque ſic intelligitur definitio libertatis, quæ dicitur facultas, qua poſitis omnibus ad agendum requiſitis ſubſtantia intelligens poteſt agere & non agere, agere hoc vel aliud.

§. XX.

Dicis: at vero vir bonus nihil poteſt agere præter id, quod fas eſt; nihil poteſt velle, præter bonum & honeſtum, repugnat, eum aliud, quam rectum agere: fortaſſis hoc argumentum hominibus, quin immo prudentiſſimis inferre neceſſitatem poteſt. Equidem de hac re ſic exiſtimo: vir bonus neceſſario debet optimum agere, conditionate, quatenus viri boni titulus in illum quadrat; quemadmodum bonus logicus falli non poteſt qua talis, poteſt autem vitio intellectus humani: ſic vir honeſtatis amans officia virtutum neceſſario exequitur, quatenus amat honeſta; generali autem & Ciceroniano ſenſu poteſt vivere, ut vult. „Quid eſt enim, ait „Cic. Parad. V. §.IV. quid eſt libertas? poteſtas vivendi, ut „velis. Quis igitur vivit ut vult, niſi qui recta ſequitur, qui „gaudet officio, cui vivendi via conſiderata atque proviſa „eſt?„ Equidem facillime credo hanc ideam conciliari poſſe noſtræ, quam dedimus, definitioni. Agnoſcit vir ſummi ingenii, libertatem ſeſe ad voluntatem accommodare, videt autem inſimul, voluntatem ſeſe nunquam exſerere, niſi vivendi via (ſeu actiones humanæ) conſiderata ab intellectu atque proviſa ſit. Conſtituit igitur, hominem intellectu ſuo utentem probe conſideraſſe vivendi viam, atque libertatem eſſe facultatem, pro cognitione ſua eligendi optimum. Atque ex hac notione Cicero idem conatur efficere, quod noſtra ætas agnoſcit, niſi ſapientem liberum eſſe neminem; quo enim quiſque eſt ſapientior atque perſpicacior, eo plura poſſibilia media perſpicit, quibus finem ſuum exſequatur; & ſi omnia perſpicere poſſet media, eſſet profecto ſapientiſſimus; eligit enim unum relictis ceteris, quamvis ea eligat, quæ ſibi videntur accommodatiſſima. Ita & Deus & homines, ad ſimilitudinem Dei effecti, ſapienter ſimul & libere eligunt, & eligere poſſunt. Neceſſitas moralis.

§. XXI.

Corollarium

Atque ſic primam Tractationis noſtræ partem de contingentia mundi, quoad conſtitutionem ipſius, ad finem perduximus. Quis jam ex hiſce omnibus mundi neceſſitatem abſolutam, quis brutam omnium rerum concatenationem elicere poſſit? vidimus, mundum in ſe eſſe contingentem, & præter eſſentiam ſuam nihil æterni habere; & proinde figmentum de materia æterna, rudi illi indigeſtaque mole, in auras diſſipari. Neque vero etiam ex parte Auctoris ſui mundum eſſe neceſſarium intelleximus; non reſpectu gloriæ Divinæ, nec acquirendæ novæ realitatis cauſſa, quippe quæ erat impoſſibilis; quidquid autem in ſe, & reſpectu cauſſæ ſuæ efficientis eſt contingens, illi revera contingentia ratione conſtitutionis competit. Fatum igitur abſolutum hic proſcriptum eſt. Sed quid ſi naturæ auctorem negare quis audeat eo, quod omnia ex innumeris confluxere atomis? periculum non eſt, ne quis hanc cramben velit recoquere, uno prudentiorum ore toties exploſam atque exſtinctam. Tranſeamus igitur via ſatis ſpatioſa ad alteram Tractationis partem, quæ ex prima immediate fluit, oſtenſuri, mundum hunc eſſe etiam in conſecutione ſua contingentem.

§. XXII.

Pars II. Nexus univerſalis quotuplex.

Quoniam nunc de mundo ut exiſtente, rebusque maxime neceſſariis inſtructo loquimur, igitur generale illud Principium de rebus exiſtentibus erit præmittendum: quod nihil ſit ſine ratione ſufficiente; vel quod præcipit, quotiescunque de re quadam certiores facti ſimus, ſemper aliquid adeſſe, ex quo cognoſci poſſit, cur ea res potius ſit quam non ſit, cur hæc ſit, nec alia; quam ob rem in toto hoc univerſo conſpici nihil poteſt, quod non ſui rationem ſufficientem habeat, & quamvis ea non ſemper explicari poſſit ab hominibus, divino ſaltim intellectui ea obverſatur. Nimirum in toto hoc univerſo cohærent omnia nexu quodam continuo

atque indivulſo, nexus autem univerſalis in illis rebus obtinere tantum poteſt, ubi ſemper ex uno intelligas, cur ſit alterum vel in ſpatio cum aliis rebus ſimul, vel in ſucceſſione rerum contineatur. Duplicis autem generis eſt univerſalis ille nexus; alius nimirum nexus eſt ſpirituum, vel corporum alius; nexus ſpirituum iterum ex duplici fonte derivatur, & eſt vel Logicus, prouti repræſentationes ex repræſentationibus oriuntur, vel moralis, ubi relatio voluntatis ex antecedanea repræſentatione ſpectatur; ſed profundiſsime hæc omnia Ill. Bilf. Diluc. S. II. C. II. Nos hic de nexu mundi corporei ſermonem inſtituimus; atque mundum exinde interpretamur per eam relationem omnium rerum ad ſe invicem, vi cujus unum in ſecontinet rationem ſufficientem, cur exiſtat alterum:

§. XXIII.

1) Ratione ſpatii.

Electo ſemel inter plures alios poſſibiles hoc mundi complexu facile apparet, omnia, quæ ad nexum hunc ut partes illius pertineant, poſſibilia certo eſſe eventura; adeoque illud omne, quod in hoc nexu rerum univerſali ſui rationem ſufficientem habet, vel jam exiſtit vel antea jam exſtitit, vel adhuc eveniet; omnia autem exiſtentia ex duplici latere ſpectari poſſunt, vel ita, uti in certo quodam ordine rerum ſimul exiſtentium continentur, vel uti pluribus mundi viciſſitudinibus antegreſſis oriuntur demum. Si conſideremus objectum aliquod in relatione plurium ſimul exiſtentium poſitum, unicum hoc ſic referetur ad cetera, ut nullum aliud eodem reſpectu ſimul exſiſtat, atque hac ratione oritur generale diſcrimen interres creatas omnes, & individua cognoſcimus; quæcunque enim ſpatio connexa videmus, ea non niſi in ſingulis individuis ſenſu percipimus; ſed id, quod ſenſus percipit, variis nimisque multis circumſtantiis veſtitum videmus atque involutum, & proinde illud determinare poſſumus; plurima enim diſcrimina, tam interna, quam externa, indicare poſſumus, quibus unum ab altero differat. Concipi vero ſimul poteſt, quo ſenſu accipiatur principium illud

Leib-

Leibnitianum: non dari duo perfecte ſimilia; quoniam loco ſaltem atque tempore diſtinguuntur. Cum autem ſpatium ſit ordo rerum ſimultanearum, apparet, in ipſo hoc ſpatio præter illa diſcrimina, quibus unum ab altero differt, aliquam ſimilitudinem adeſſe debere, qua omnes ſubſtantiæ & earum aggregata conveniant. Totum ſc. hoc univerſum ad gloriam divinam creatum eſſe cognovimus §. XVI. & ſapienter quidem §. XV. n. 3. ſed quoniam ſapientis eſt, conformitatem maxime ſervare in mediis ad certum finem ſpectantibus, ſic & Deus certa media & quidem optima huic ipſi mundo inſeruit, quibus finem ſuum conſequeretur; finis eſt gloria Dei, medium, per quod iſta ſe exſereret, eſt creatio mundi; ſapientem vero maxime decet, primario fini plures alios adjungere fines minus principales, & totidem ſibi ſubordinare, quotquot ad primarium ſufficiunt, mediis reſpective pauciſſimis; hæc ipſe Deus fecit; dum ipſa media, quibus in condendo mundo fuit uſus, novi ſint fines ſecundarii, & ſic deinceps. Quam, quæſo, admirabilis hic eſt nexus rerum ſimultanearum? quantum ſapientiæ Divinæ argumentum? Habemus itaque in connexione rerum ſimultanea & diſcrimina & ſimilitudines rerum: collectis pluribus convenientiis habemus ſpecies, collectis pluribus ſpeciebus ad genera aſcendimus; & ſic emergit nexus rerum ſibi invicem ſubordinatarum.

§. XXIV.

2.) Ratione temporis.

Datur autem alius nexus rerum ſibi mutuo ſurrogatarum, ſive, ut loqui conſuevimus, ratione temporis. Talis autem nexus maxime id ſpectat, quomodo naturales rerum conſecutiones ex cauſſis ſuis procedant, & ſic ea ratio obtinet, quæ eſt inter præcedentes cauſſas ad ſuos effectus conſequentes. Mutationibus obnoxium eſſe hunc mundum, & ſemper novam induere faciem, maxime quoad tempus; id experientia dudum comprobavit; ſic ab infinito tempore ad noſtram usque ætatem innumeræ inter res creatas ſucceſſiones effluxere, & quot in poſterum exhauſtum iri putamus? ſed quemadmodum ſibi ipſi ſimillimus eſt hic mundus, ita etiam arctiſſimo nexu

nexu colligat omnia, quæ ſe invicem ſubſequuntur; ſic ut ſemper in antecedente mundi ſtatu ratio ſit invenienda, cur effectus aliquis eveniat: quæ quidem genealogia, innumeris diffuſa ramis, uſque ad Ens ſimpliciter neceſſarium extenditur, atque ita fit, ut omnia illa, quæ magnus ille rerum eſſentiator viva illa voce: Fiat! complexus eſt, ſenſim & ordine procedant, & virtuti ſuæ pares effectus edant. Huic ipſi rei tota Phyſica innititur, ut cauſſas illas percurrat, quibus Phænomenon aliquod naturæ debet explicari; & egregie eo ipſo nobis proſpicit, dum nobis media præbet, quibus uti debeamus, quando e naturæ theſauris emolumentum aliquod velimus elicere; hæc ratio eſt, cur hoc inprimis tempore homines noſtri plurimis ſeſe laboribus exerceant, quoniam & juſto tempore ſe id facere, & naturam ſibi obedientem habere dudum cognoverunt. Et proinde intelligi poteſt, quid ſibi velit nexus rerum univerſalis, qui & connexiones ſpatii & temporis ſimul requirit. Hinc rectiſſime Ill. Wolff. in Annot. Metaph. §. 176. eam definitionem tradit, quod nexus rerum materialium ſit dependentia a cauſſis finalibus & efficientibus; finales quidem in rebus ſimultaneis, efficientes autem in rerum ſucceſſione locum inveniunt.

§. XXV.

Cum inter ſucceſſiones rerum non ſit diſpar effectus inter ſimiles caſus, ſed iisdem poſitis circumſtantiis idem ſemper effectus appareat, nihil magis naturale eſt, quam ut ſtatuamus, Deum omnes mutationes mundi atque effectus ſub certas claſſes diſtribuiſſe, quarum uni quivis effectus reſpondere debeat; voluit igitur, eam inter res creatas harmoniam eſſe atque concentum, ut omnia divinis regulis conformiter agant, atque in eo finibus Divinis ſatis fiat. Et quoniam omnis res eo eſt perfectior, quo magis cum regulis conſpirat; apparet, eo perfectionem eſſe hunc nexum univerſalem, quo plura ex legibus hiſce, a Deo naturæ præſcriptis queant explicari. Et hinc intelligi poteſt, quænam ſint iſtæ motuum leges, quibus omnes corporum functiones ordina-

Extenſio hujus nexus.

riæ determinantur ; nimirum iſte rerum contingentium ordo, quem mundus in mutationibus ſuis obſervat. Sumimitur autem mundus hic latiori ſenſu, neque enim ſolus hic, quem incolimus, globus terraqueus unum mundum conſtituit, ſimul ad illum totum hoc univerſum, tam ſyſtema Planetarium, quam immenſum illud ſpatium, fixis impletum, pertinere arbitror. Lunam quidem ſatellitem, quæ noctu ſolis inſtar nobis eſt, inſignem hic habere influxum conſtat : inter fixas ſi ſolem nominemus, quænam ſint illius actiones tam circa reliquos planetas, quam circa terram, ipſo ſole clarius patet; ſimili modo reliquas ſtellas huc refero ; nam & illæ ſuis relationibus cum mundo, & ſecum invicem conſpirant. Mundus igitur eſt totum aliquod, quod internum ſuum habet principium, ex quo omnes mutationes per motum derivantur. Corpora quidem mundi totalia moveri, dudum cognoverunt eruditi, cumprimis Hugenius ; verum id eſt in omni ſyſtemate, ſive planetas circa ſolem cum Copernico, ſive ſolem circa planetas moveri ſtatuamus ; apud corpora mundi partialia id indubium non eſt, quoniam materia corporis, ſeu vis inertiæ, id non videtur permiſſura ; interim & in illis motus quiſpiam internus eſt : corpus enim gravitate ſua ſemper verſus centrum terræ agit, quamvis plane videatur quieſcere ; & deinde primitiva illa corpuſcula ſemper in ſemet invicem agunt ; cum primum enim ſibi invicem conjuncta ſunt, & nulla ratio eſt, cur a ſe ſeparentur, actione ſua interna ſemper cohæreſcunt ; qui motus vocatur internus.

§. XXVI.

Leges motuum nullam inferunt neceſſitatem.

Quoniam iſtæ regulæ magnum aliquod momentum trahunt in hoc, quod agimus argumento ; inquiramus ſolicite, num iſtæ leges motuum ſint vel neceſſariæ, vel contingentes ; quas ſi neceſſarias eſſe cognoverimus, tota hæc doctrina, & ſimul naturalis Theologiæ fundamentum corruet : in rebus creatis præter eſſentiam nihil cogitare licet neceſſarium, quapropter num in eſſentia fundentur hæ leges, diſpiciendum eſt: eſſentia mundi in modo compoſitionis certarum partium conſiſtit ;

ſtit; ex qua quidem notione apparet, nullam eſſe repugnan-
iam, eſſentiæ certam quandam vim tribuendi, quam ſequan-
ur omnes mutationes: qualis autem illa vis, quale principi-
m eſſe debeat, per eſſentiam mundi non determinàtur. Ex
uo apparet, leges haſce motuum fundari quidem in eſſentia
nundi, ſed iſtas non unice tantum poſſibiles eſſe pariter con-
icimus; non igitur ex rigore Geometrico, vel abſoluta ne-
eſſitate ortum ſuum trahunt. Tametſi vero non abſolute
ieceſſarias eſſe has leges motuum facile perſpexerimus,
quamvis de neceſſitate conditionata nemo dubitet) non ta-
nen in alterum illud extremum delabi debemus, ut ſtatua.
nus, regulas iſtas reſpectu Dei prorſus eſſe indifferentes: ſu-
ra enim §. XIX. perſpeximus, neque in Entibus, intelle-
tu ſuo limitatis, locum invenire talem quandam indifferen-
iam, quod in Deo eo clarius apparet, quo magis Divinus
ntellectus inter humanam imbecillitatem eminet; in homini-
us enim illud quandoque determinationem impedit, quod
non omnes rationes ſimul perſpicere poſſumus, Deus omnia
iſtincte & adæquate cognoſcit: Elucet igitur in Deo ſum-
na ſapientia, quam pro fundamento habemus, cur ipſe has
præcipue motuum leges eligendas exiſtimaverit; qui ex hac
Dei perfectione neceſſitatem conantur exſculpere, illi appa-
entem pro vera, moralem cum abſoluta neceſſitate, infelici
udicio, commiſcent. Quamvis enim inter plurima poſſibi-
ir, quæ Intellectus Divinus puriſſime ſibi repræſentat, uni-
um tantummodo poſſit eſſe optimum; non eſt tamen hoc
pſum unice eligibile, niſi reſpectiva illa neceſſitate morali,
quam felicem atque beatam eſſe neceſſitatem jure pronuncia-
vit Leibnitius. Dum igitur iſtæ leges non ſint abſolutæ ne-
ceſſitatis, nec per eſſentiam mundi unice determinentur; vi-
demus, diſtinguenda eſſe hæc duo; eſſentiam atque vim inter-
nam motricem; adeoque omnia, quæ fiunt in mundo, explicari
poſſe vel ex eſſentia mundi, vel ex legibus motus, quæ ſunt
& generales, & ſpecificæ. Atque ſic omnino recedimus ab
opinione illa dudum profligata, quod corpus ſit indifferens
ad motum & quietem, cum ſupra jam fundamentum Carteſii
everterimus §. V. cui erat innixa.

§: XXVII.

§. XXVII.

Discrimen inter certitudinem & necessitatem

Cum primum itaque mundus is esse coepit, qualem nunc experimur, ex eo rerum initio certum factum est, futura esse hæc omnia, quæ ætatem nostram antecesserunt, & quæ eandem consequentur; dum enim ex pluribus possibilibus hunc mundum producere Deus secum constituit; exercitium Divinæ omnipotentiæ, in condendo hoc universo applicatæ, ad omnia illa possibilia extenditur, quæ in hoc mundo involvuntur, & eo quidem sensu certum est, futura etiam esse consequentia, ex rationibus nimirum objectivis. In eo quidem conspirant omnes Philosophi nostræ ætatis, veritatem rerum futurarum esse determinatam jam a creatione hujus mundi, & consequenter jam nunc vera esse illa omnia, quæ post hoc tempus fient, quoniam jam in præsenti statu mundi ratio illorum quamvis remotissima possit inveniri: quin etiam ipsi homines actionibus suis futura determinant, quoniam hic nexus cum futuro conjunctus est, & omnes naturæ effectus ex virium caussæ determinatione sequuntur. Quemadmodum vero istæ actiones hominum nihil absolute necessarium in se complectuntur §. XIIX. sic etiam effectus, inde derivandi nullam postulabunt. Futuritio certe nihil obesse potest contingentiæ; demonstrari enim antea deberet, mundum hunc secundum originem suam esse necessarium; quod secus se habere supra parte prima vidimus. Res igitur futuræ sunt omnia illa possibilia, quæ ad hunc mundum pertinent, quarum existentia quidem est certa, sed ad quam producendam plures adhuc præparationes requiruntur, ut possint physice exsistere. Sic itaque verum est atque certum, futura esse consequentia, quoniam illorum ratio sufficiens in hoc rerum nexu continetur; sed quatenus existentia non ingreditur essentiam mundi, eatenus futura non sunt necessaria, sed contingentia; sicut in Machina omnia sensim & ordine evolvuntur, quibus destinata est, necessitate hypothetica; sic in mundo futura sunt certa atque determinata. Sunt autem complures, qui vix audita voce Machinæ mundum

fingunt

fingant esse necessarium, nec machinam naturalem ab artificiali satis discernunt: neque enim hoc dicimus, quod mundus in omnibus conveniat cum machinis, sed in isto tertio tantum, quod utraque motu suo interno gaudeat; hinc invertendum potius est argumentum; quoniam artificiales istæ machinæ sint imitatrices naturæ, quæ sola revera est machina; & quia mundi mutationes a substantiis agentibus liberis, intelligentibus maximam partem determinantur; in reliquis machinis necessario fiunt omnia. Et sic contingentia mundi ratione legum motus semper salva manet.

§. XXIIX.

Aliud quoddam argumentum obstat, quod de omniscientia Divina derivatur; nostrum erit hac in parte spicilegium instituere, quoniam diu multumque agitata est hæc controversia, nec nunc plane conquievit. Summas nimirum intellectui Divino perfectiones tribuimus, qui per omniscientiam ita determinatur, ut omnia possibilia adæquate & simul sibi repræsentet: Cum autem possibilia sint duplicis generis, alia quæ ad hunc mundum pertinent, & certo eveniunt §. XXVII. alia quæ ad existentiam nunquam promoventur; patet intellectum Divinum hæc omnia pro objectis adæquatæ repræsentationis habere, atque ita scientia divina vocatur scientia visionis, & scientia media; quatenus res singulas extra nexum sibi repræsentat, eatenus ipsi tribuitur scientia simplicis intelligentiæ. De scientia visionis loquimur, quoniam de cognitione futurorum sermo nobis est: atque eo sensu recte dicitur, omniscientiam Divinam falli neutiquam posse; quoniam ipse Deus res sibi invicem coordinando atque subordinando nexum rerum universalem constituit, & uno obtutu perscrutatur omnia; & quia res ita cognoscit, uti sunt per nexum rerum objective determinatæ ad existentiam sub certis circumstantiis. At vero si exinde necessitatem velis inferre rebus creatis, vereor, ne error subnascatur; neque enim ideo res ita fiunt, quia Deus easdem prævidet: sed ideo Deus sibi res ut futuras repræsentat, quia rationes in objectis adesse, exacte cognoscit. Ponamus enim aliquantisper, omniscientiam Divinam

Illustratur exemplo omniscientiæ.

esse rationem sufficientem, cur hi sequantur effectus nec alii, neque in objectis aliquam contineri; tum vero ex subjectivis rationibus fient omnia; non igitur aliud in Deo fundamentum hujus scientiæ est quam id, quod Deus ab æterno ita decreverit; ut nimirum omniscientia ex decreto Divino dependeat, qua quidem sententia suffragaremur iis, qui absolutam prædestinationem fingunt. Proinde ratio futuræ existentiæ simul est in objecto possibili; consequenter illam vel in possibili, qua tali, poneremus, quod vero esset a possibilitate ad existentiam concludere; vel ratio petenda est in possibili, quatenus in hoc nexu spectatur; hoc vero posteriori sensu obtinemus id, quod volumus. Igitur res futuræ fiunt ex rationibus objectivis; proind non in omniscientia Dei sola fundantur; & hinc jure statuimus, omniscientiam Divinam nullam inferre rebus creatis necessitatem.

§. XXIX.

Objectio solvitur. Sed ex diverticulo in viam redeundum est; de regulis motuum diximus, atque illas non absolute necessarias esse cognovimus ex eo, quia non in essentia mundi continentur, & proinde sunt mutabiles. Si quis autem evicerit, ipsam mutabilitatem esse posse simpliciter necessariam, ut & in consecutione rerum ipsa alia aliis ferrea necessitate succedant, næ is omne robur argumenti nostri, quo jam §. IV. contingentiam mundi confirmare voluimus, prorsus enervabit. Sed res est in salvo: nam mutabilitas, secundum possibilitatem mundi internam, vel essentiam, omnino necessaria est simpliciter: secundum existentiam vero mutabilitas a contingentia separari non potest; atque sic mundo contingentia restituitur. Et sane non melius Spinoza consulere sibi potuisset, quam pestilentissima illa Thesi: quod hoc universum sit ipse Deus; qua quidem id efficere conatus est, omnes mundi mutationes, atque ceteras res existentes esse veluti modificationes unius substantiæ necessariæ i. e. mundi, ac deinde impossibilitatem miraculorum ex eo derivavit fonte. Sed confutatus est hactenus iis exemplis, quæ per experientiam negare ipse non poterat, mundus enim est extensus, quæ quoniam nulla est absoluta perfe-

ctio,

ctio, in Deum ſane non poteſt cadere: nam extenſio non eſt realitas, quæ enti cuidam ineſt, ſed ſupponit aliam realitatem vi cujus, confuſe perceptæ, adeſſe apparet ait Ill. Wolff. theol. nat. P. II, §. 689. Atque ipſum extenſionis exemplum ſimul illam opinionem evertit, quæ mundum eſſe unicam ſubſtantiam putat; cum extenſio nihil ſit aliud, quam complexus rerum innumerarum, cujus vires ſæpiſſime ſibi invicem ſunt oppoſitæ, & hinc pro una eademque ſubſtantia haberi non poſſunt; vires enim oppoſitæ in una ſubſtantia locum habere non poſſunt. Infinitum quidem eſſe hunc mundum negari non poteſt ratione extenſionis, an id verò Deo ſufficere ſtatuamus? minime gentium; neque enim ita tantum infinitus eſſe Deus poteſt; quin potius in illa idea infinitudo ſenſu Metaphyſico accipitur uti §. III. quæ nimirum in omnitudine ſibi compoſſibilium perfectionum conſiſtat; non autem ſenſu Mathematico, qui tantummodo infinitatem ratione molis ſive extenſionis conſiderat. Plura de his dicenda eſſent, ſed non ex inſtituto illum refutamus atheum.

§. XXX.

Contingentia curſus naturæ.

Interim in generali deciſione putem plurimas difficultates inde ſub natas eſſe, quia eſſentiam mundi atque ejusdem naturam pro una eademque habuerunt, quæ ſolicite tamen a ſe invicem fuiſſent diſtinguenda. Per uſum loquendi diſcimus, illud apud nos dici naturale, quod ſui rationem ſufficientem habet in hoc rerum nexu; ordo, quem hic mundi nexus in ſuis mutationibus conſtanter obſervat, nititur illis generalibus legibus, quas motui Deus præſcripſit; leges autem iſtæ quoniam non ſunt abſolute neceſſariæ §. XXVI. igitur ad mundi eſſentiam pertinere non poſſunt. Atque ita quemadmodum effectus mundi in eſſentia illius quærendi ſunt, nam quivis alius compoſitionis modus alios effectus prodit; ita in conſecutione rerum animus ad regulas motuum applicandus eſt; conſequenter curſus naturæ eſt ſeries omnium illorum eventuum, qui in eſſentia mundi atque in legibus motus ſui rationem ſufficientem habent. Quidquid igitur non in legibus motus ſui rationem habet ſufficientem, illud vel plane non fit;

vel si existit, sane supra naturam illud est; atque sic perspicuum est, si cursus naturæ tolli debeat, illum per suspensionem legum motus tolli; leges autem istas suspendi revera posse, per contingentiam earum jam implicite diximus; & proinde cursus naturæ est mutabilis.

§. XXXI.

Possibilitatem miraculorum probat.

Id quod cursui naturæ e diametro opponitur, miraculum alias dici solet; & cum oppositum cursus naturæ sit possibile, eo ipso possibilitas miraculorum patet; atque sic a priore obtinuimus id, quod per experientiam demonstrare rigor Philosophicus non semper permittit, quamvis vera & realia miracula sacræ literæ abunde testentur. Ex dictis vero facillime patet, eventum quendum rarum atqne insolitum neutiquam dici miraculum posse; raritas enim casuum neutiquam impedit, quo minus rem ex naturæ vi possimus derivare, quod secus habet in miraculis. Habent hunc errorem permulti cum plebe communem, ut in rebus non semper obviis statuant miracula, quotiescunque visum fuerit, ipsi cæca imaginationis fraude toties illusi, sic sæpe numero nova Phænomena, cometas vel alia id generis plura immediate nunc demum ab omnipotentia Divina profecta, consequenter pro miraculis, vel signis tristium eventuum, mundo imminentium habenda esse anili superstitione putant, quo quidem sensu minime intelligi velim id, quod supra §. XXV. diximus, quoniam relationes illæ, quas alii planetæ ad hunc orbem habent, sunt mere extrinsecæ, nec unum pro signo alius assumi potest. Atque hic mirifice iterum falli Spinozam videmus, Tract. polit. cap. 6. ita differentem: „ nomen miraculi non nisi respective ad „ hominum opiniones posse intelligi, & nihil aliud significare, „ quam opus, cujus causam exemplo alterius rei solitæ explicare non possimus. Nititur enim hæc sententia falso præsupposito, ac si illud nobis sit miraculum, cujus rationem sufficientem ignoremus; absit longissime! dantur enim in Physica variæ instantiæ, quorum ratio quamvis nos fugiat, pro miraculo tamen non habentur. Quis e. g. vim Electricam supra

ra naturæ vires poſitam eſſe exiſtimet, ea propter, quia cauſa illius occulta adhuc eſt? Quin potius illud ſano ſenſu miraculum vocamus, quod ſui rationem plane non habet in illis regulis, quas operationes rerum contingentium ſequi ſolent ordinarie; male enim nobiſcum ageretur, ſi omnia illa diceremus miracula, quorum cauſam exemplo rei ſolitæ explicare non poſſumus; atque in eo pares nos exhiberemus obſcuro illi ſeculo, ubi omnia, quæ vel mediocrem attentionem merebantur, pro miraculis fuere venditata; ſi non potius per impoſſibilitatem phyſicam miraculum agnoſcere poſſemus.

§ XXXII.

Animæ actiones ſimul contingentes ſunt & liberæ.

Atque hæc de contingentia mundi corporei ratione conſecutionis rerum ſufficiant; nunc iterum ad regnum ſpirituum finitorum convertimur, & de his paucis adhuc videamus. Supra quidem ſermo jam de illis erat inſtituendus, quia contingentia actionum humanarum ex prima mundi conſtitutione derivanda erat, plura ibidem ediſſerere non licuit; nunc in ordine ſucceſſionis rerum plura adhuc ad illum locum pertinentia enumerabimus. Spiritus finiti ab infinito in eo potiſſimum differunt, quod illi, quidquid cogitant, ſucceſſive ex legitimis præmiſſis, ab intellectu probe ponderatis, deducant; quod infinitus ſpiritus ſimplici agit actu: interim ſucceſſiones iſtæ non inordinate ſine ullo nexu producuntur, & proinde ſuas etiam leges ſequuntur certas atque determinatas; quas & duplici reſpectu contingentes eſſe oportet, quoad productionem atque ſucceſſiones ſuas. Tametſi vero id extra omnem dubii aleam ſit poſitum per ea, quæ hactenus demonſtrare conati ſumus; nihil tamen amplius exinde ſequitur, quam contingentes eſſe illas, quibus anima fungitur, actiones, ſed num a contingentia illarum ad libertatem liceat concludere, incertum eſt hactenus: ſufficit contingentia in mundo corporeo, in ſpirituum actionibus non ita ſe res habet; poteſt enim in mundo corporeo res quædam in ſe contingens eſſe, quamvis ſub certa conditione effectus neceſſario ſequatur, idque ſine detrimento contingentiæ, jam

 ſi nul-

ſi nulla excellentior facultas animæ competeret, de libertate illius valde dubitandum eſſet. Nam iſtæ ſucceſſiones in anima pertinent quam maxime ad nexum illum, qui eſt inter repræſentationes atque appetitus animæ, quorum poſterior non contingenter tantum (quod idem eſſet atque neceſſitas hypothetica) ſed & libere debet animæ competere, quod niſi evicerimus, victas illis manus dabimus, qui animam in machinas converti putant, cum primum quæſtio de ſucceſſione appetituum ſubnata fuerit. Conferamus pauliſper mundum ut machinam cum anima, & diſcrimen evolutius patebit: ut primum apte inter ſe diſpoſitis partibus motu ſuo fertur machina, tum in illa fiunt omnia, quæ per modum compoſitionis ſunt poſſibilia; cum interim anima non promiſcue omnia ex ſe evolvat, ſed ea tantum exſequatur, quæ videntur optima. Palmaria igitur illa erit differentia, quod utraque quidem ex principio agit intrinſeco, ſed ſummopere diverſo; nam principium illud machinis intrinſecum eſt illa vis motrix, quæ partibus illius indivulſa ſerie motum communicat; illud vero principium, ex quo actiones fluunt animæ, in vi repræſentativa ponitur; quæ repræſentationes in nexu ſpectatæ vel iterum repræſentationes gignunt, & hac in parte conſpirant cum machinis, quas proinde etiam neceſſarias eſſe ipſi nos concedimus; vel repræſentationem animæ appetitus excipit, quem liberum eſſe fatemur: intellectus enim in repræſentatione diſtincta poſitus, ut in relatione cum aliis rem quandam conſiderat, & ab aliis diſtinguit, per naturam ſuam, & ſi in illa ſubſiſtat, nihil fit, usque dum voluntas unum præ alio eligit, adeoque ſemet ipſam determinat. Lex, qua ſe voluntas determinare ſolet, generalis in electione optimi conſiſtit; ſed eo ipſo eſt libera, quia vel plane non eligere, vel alium decernere poteſt, nam lex iſta animæ non imperat neceſſario, quoniam ſæpe numero neſcio quo torpore adſtricti actiones noſtras ſuſpendendo omittimus optimum factu; quando intellectus meliora videt probatque, deteriora vero voluntas ſequitur: intellectus enim ſuadet tantum, voluntati nihil de jure ſuo derogaturus. Et proinde contingenter ſimul & libere anima actionibus ſuis defungi ſolet.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Quamvis connexæ sint leges successionum appetitus.

Sed quemadmodum nihil hic egisse videntur ii, qui ani-
æ appetitibus necessitatem inferre conati sunt, eo, quod
ges successionum certæ ipsi sint innatæ; sic alteram quo-
ue phalangem adoriuntur, & plane omnem ex anima nexum
ollunt. Assumit enim casum Bælius, quo meditationes no-
ræ repertina quadam sensatione interrumpantur, atque ita
ostro gladio illam Thesin jugulare conatur, quod natura ni-
il faciat per saltum; hic vero apertum esse saltum existimat,
um ex abrupto ab una repræsentatione veniamus ad aliam,
hac toto cœlo diversam. Equidem & novam hanc sensatio-
em cum aliis legitimo nexu conjunctam esse reor, sed id,
uod nexum cum statu antecedente non perspiciamus, inde
endet, quia aliis rebus intenti, animoque ab externis re-
us abstrahente, nexum novæ sensationis non attendimus,
proinde nullum saltum cogimur admittere, quoniam ordo
præsentationum animæ sibi semper est similis: anima enim
uatenus est in classe spirituum, eatenus habet repræsentatio-
es distinctas, quatenus autem est anima corporis, eatenus
abet repræsentationes limitatas, id est, distinctas confusis,
aras obscuris commistas: nova igitur ratio, cur de nexu
arum dubitare in mentem veniat, evolvitur, si e. g. distin-
am vel claram obscura excipit notio, cujus quoniam nobis
onscii non sumus, ideo nullam adesse interdum statuimus,
eruntamen sic perpetuo atque ordinatissimo nexu colligata
nt omnia. Hæc sunt illa, quæ pro instituti nostri ratione
otulisse sufficiat; ratio & modus, quo ex infinita rerum con-
ngentium serie ad Ens simpliciter necessarium adscendimus,
otior est, quam qui denuo hic inculcetur; quoniam non
tam existentiam Dei demonstrare, quam viam modo illi
investigandæ munire, hac vice constituimus.

FINIS.

PRÆ-

PRÆSES

Ad præſtantiſſ. Dn. Reſpondentem Auctorem.

VErnacula nuper poëſi, in laudem Sereniſſimi publicata, ingenii edideras ſpecimen. Nunc, diſcurſu philoſophico, judicii Facultatem reddis teſtatam. Hæc animi dona veluti Conjuges ſiſtunt: quorum alterum mariti, alterum, uxoris perſonam gerit. Ut connubium utriusque in theologia, ſuo mox tempore adtingenda, fecundum ſit: DEum enixis precibus rogo, atque exoro.



Laxas, ligas heic. Aurea vincula,
Quæ, vinciunt dum, compede nos ſimul
Fati trucis ſolvunt, feracis
Optio quo premitur Sophiæ.

Stat firma lex hæc: vult homo, nam volet,
Quod vult. Elater nam ſtimulat lubens:
Nectis tibi laurus, Amice,
Sortis & hinc Faber es virentis.

Hiſce paucis præſtantiſſ. dn. auctori, commilitoni ſuaviſſimo, gratulantur.

Compromotionales.